

Michael Cobabus Christianus Rikemann

**Disputatio I. Analytico-Theologica, exhibens Cap: V. Epist: ad Romanos Analysin Cui annexa est Specialis Tractatio ex v. 12. eiusdem Cap. De Uno Illo Homine, Per Quem Peccatum In Mundum Introiiit; Et De Peccato, Quod Per Unum Illum Hominem In Mundum Introiiit, Contra Autorem Exercitat. super v. 12. 13. 14. Cap. V. Epist. D. Pauli ad Romanos; & System: Theolog: de Prae-Adamitarum hypothesi**

Rostochi[i]: Richelius, 1656

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740010549>


Druck Freier  Zugang



R u. Med. 1656.

Lobatus, Michael  
Dipul. I

Vest Rikemann, Christian



I. N. D. J. E.  
DISPUTATIO I.  
ANALYTICO-THEOLOGICA,

exhibens  
Cap. V. Epist: ad Romanos Analyfin  
*Cui annexa est*

Specialis Tractatio ex v. 12. ejusdem Cap.  
DE

UNO ILLO HOMINE,  
PER QVEM PECCATUM IN MUN-  
DUM INTROIIT; ET DE PECCATO,  
QVOD PER UNUM ILLUM HOMINEM  
IN MUNDUM INTROIIT,

*Contra*

*Autorem Exercitat. super v. 12. 13. 14. Cap. V.  
Epist. D. Pauli ad Romanos; & System: Theolog:  
de Pra-Adamitarum hypotesi,*

*Qvam*

Amplissimæ Facultatis Theologicæ consensu  
SUB PRÆSIDIO

DN. MICHAELIS COBABI,

S.S. Theol: Doctoris, & P. P. Dn. Hospitis,  
Præceptoris & Fautoris mei ætatem  
colendi,

*Ad diem 6. Decemb. horis antemeridianis in Auditorio Majori  
publica eruditorum disquisitioni submitto*

CHRISTIANUS Kilermann

Lunæburg.

ROSTOCHI

Typis Johannis Richelii, Senatûs Typog. 1656.

Unberstatts-  
Bibliothek  
Rostock

# Disputatio I. Analytico-Theologica

exhibens

## Cap. V. Epistolæ Pauli ad Romanos Analytin,

cui annexa est

*Specialis tractatio ex v. 12.*

*De uno illo homine, per quem peccatum in mundum introiit;*

&

*De peccato, quod per unum illum hominem in mundum introiit.*



Nunc aliquot Annos proposui analytin IV. Caputum prior. Epist. Div. Pauli ad Romanos. Nunc occasione accepta per exercitationem super vers. 12. 13. 14. Capit. V. ad Roman. (quibus contra Apostoli mentem falsissime introducuntur primi homines ante Adamum conditi) progredimur ad Cap. V. ejusdem Epistolæ. Adspiret cœptis Spiritus Sancti gratia.

Respond:  
CHRISTIANO  
Kitemani  
Lunab.

Incipit autem Apostolus cap. 5. à *Consequente*, cujus *Antecedens* (DEUS justificat gratis gratiâ suâ per redemptionem, quæ est in Christo Jesu illos, qui credunt) 1. proponit cap. 3. 2. probat cap. 4. exemplo Abrahami, & Davidis testimonio. *Consequens* autem

est: E. justificati ex fide pacem habemus apud Deum per Dominum nostrum Jesum Christum. Quod (A) *proponitur* v. 1. Ubi hæc pax describitur I. à *subjecto*, quod sunt justificati ex fide. II. à *causa efficiente*, quæ est Dominus noster Jesus Christus, quod probatur *ex effectu*, quia per Christum acceperunt admissionem fide ad gratiam illam, in qua stant, & gloriantur sub spe gloriæ Dei; neque id solum, verum etiam gloriantur de afflictionibus, scientes, quod afflictio patientiam afferat; patientia verò experientiam; experientia autem spem; spes verò non pudefaciat, quia charitas Dei diffusa est in cordibus ipsorum per Spiritum S. qui datus est illis. Quod I. *proponit* v. 2, 3, 4, 5. Ubi hæc ad gratiam admissio describitur (1) à *causa efficiente principali*, quæ est Dominus noster Jesus Christus. Per e-

v. 1.

v. 2.

A

undem

undem enim, per quem fide pacem habent iustificati, fide quoque admittuntur ad gratiam illam, in qua stant. (2) à causa instrumentali, quæ est fides salvifica. Non enim absolute sed fide habuerunt accessum ad gratiam, in qua stant. (3) ab effectu, qui est 1. in gratia illa, ad quam per Christum admissi sunt; stare, hoc est, neutiquam dubitare de Dei favore, sed firmiter statuere, ipsum nobis propter Christum esse propitium. 2. Gloriarì sub spe gloriæ Dei. 3. Non solum gloriarì sub spe gloriæ Dei; verum etiam gloriarì super afflictionibus. *Subjectum*, quod ita gloriarì potest sunt iustificati; hi enim sperant, quod victuri sint, omnesque molestias & afflictiones superaturi. Hi verè possunt dicere: non solum gloriamur sub spe gloriæ Dei; verum etiam gloriamur super afflictionibus, quia sciunt, quod afflictio sit valde utilis, quod proponit sequenti enthymemate:

Spes non confundit. E. afflictio non confundit.

V. 3.

V. 4. S.

*Consequens* probat per gradationem, quæ constat ex causis & effectibus. Nam afflictio patientiam parit: patientia experientiam: experientia spem: spes non confundit. E. Afflictio non confundit. *Antecedens* probat, quia charitas Dei, i. e., cognitio charitatis Dei diffusa est in cordibus iustificatorum per Spiritum S., qui datus est illis v. 5. Ita cognitio charitatis Dei describitur (1) à causa efficiente, quæ est Spiritus S., qui abundè cognitionem charitatis Dei diffundit iustificatis, quia per Spiritum S. effusa est, id est, abundè data est illis. (2) à Subjecto, quod sunt corda fidelium, in quibus residet Spiritus S. II. *Probat*, quod per Christum iustificati admittantur ad gratiam & favorem Dei. Christus enim, cum nullis adhuc viribus essemus, secundum tempus pro impiis mortuus est, quod proponit v. 6. Ubi describitur mors Christi. 1. à Subjecto, pro quo Christus est mortuus, illud sunt impij, qui describuntur à qualitate, quod nullas habuerint vires, quibus potuerint efficere, ut admitterentur ad gratiam Dei. 2. à Tempore, quod mortuus sit Christus secundum tempus. Hic poterat opponi, quod Christus pro nobis non sit mortuus, proinde sequens profertur occupatio: Pro impio nemo moritur.

V. 6.

E. Pro nobis Christus non est mortuus.

*Antecedens* probatur: Nam vix (difficiliter) pro iusto, sive causa iustâ

sã justã quis morietur, quod 1. proponit v. 7. 2. probat, quia causa impulsiva, quæ forsitan aliquem moveat, ut pro aliquo moriatur, est bonum. *Consequens* probat, quia nostra causa non fuit justa & bona; fuimus enim injusti, impii, Dei inimici, à Deo averti, peccatores Resp. ad consequentis probationem per concessionem: concedit enim nostrã causam fuisse injustam, nos fuisse injustos; verùm Deum commendare suam erga nos charitatem, quòd cum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortu<sup>s</sup> sit v. 8. (B) *Probat* sequenti enthymemate:

DEUS commendat suam erga justificatos charitatem, quòd, cum adhuc fuerint peccatores, Christus pro illis mortuus sit.

E. Justificati nunc Christi sanguine servabuntur multò magis per illum ab ira.

*Antecedens* proponit v. 8. Ubi mors Christi pro impiis proponitur tanquam certissimum & infallibile signum charitatis Dei erga justificatos. *Consequens* proponit v. 9. Ubi justificatio nostra describitur à causa meritoria, quæ est sanguis Jesu Christi, quia per illum servamur ab irã Dei, & pacem habemus apud Dominum Jesum Christum, quod probat v. 10. Nam si cum inimici essemus, reconciliati fuimus Deo per mortem filii ejus, multò magis reconciliati servabimur per vitam ipsius, quod proponit v. 10. Ubi per *expositionem rhetoricam* describitur 1. Mors Christi (1) à *subjecto*, quod mortuum est, illud est Dei filius (2) à *subjecto*, pro quo filius Dei est mortuus, illud sunt inimici Dei (3) à *effectu*, qui est reconciliatio cum Deo. 2. Vita Christi à *effectu*, qui est (a) servari ab irã Dei (b) non solum servari; sed etiam gloriari per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus, quod proponit v. 11. Ubi hæc gloriatio describitur 1. à *Subjecto*, quod sunt justificati: illi enim vere dicere possunt: per vitam Christi non solum servamur ab ira Dei; sed etiam gloriatur in Deo per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus. 2. à *Objectione*, quod est Deus. 3. à *Causa efficiente*, quæ est D. N. J. C. *Causa efficiens*, ut gloriemur in Deo per Dominum nostrum Jesum Christum est, quia per illum reconciliationem accepimus. Hæc poterat

v. 7.

v. 8.

v. 9.

v. 10.

v. 11.



dici & opponi: Paule, tu doces, quod iustificati acceperint admissio-  
nem ad gratiam Dei fide per Christum Jesum, illudq; probas, quia  
dicas, quod pro illis, cum fuerint absq; viribus, per quas ad Deum ac-  
cederent, secundum tempus mortuus sit. *Quærimus igitur ex te,*  
utrum Christus pro illis impiis saltem sit mortuus, qui in tempore  
gratiæ iustificentur, & propterea hi duntaxat admitti possint ad Dei  
gratiam & favorem? an verò Christus mortuus sit pro omnibus im-  
piis, sive in tempore gratiæ iustificentur, sive non iustificentur, ut ad-  
mitterentur ad Dei gratiam & favorem nemine excepto?

*Ad hoc Resp.* Apostolus seq. enthymemate.

Christus similis est Adamo.

*E.* Christus mortuus est pro omnibus impiis nemine  
excepto.

*Antecedens* proponit v. 14. Ubi dicit, quod Adam fuerit typus  
illius, qui futurus erat, puta Christi. *Consequ.* probat tali enthy-  
memate, ::

Adamus transgressione legis effecit, ut peccatum in mun-  
dum intraret, & in omnes homines propagaretur.

*E.* Christus mortuus est, ut omnes homines iustificarentur.

v. 12.

*Antecedens I.* proponit v. 12. Quemadmodum per unum homi-  
nem peccatum in mundum introit, Ubi describitur Peccatum O-  
riginale (1) à *Causâ*, quæ est unus homo, qui non restitit peccato, sed  
passus est, ut in mundum introiret. (2) ab *Effectu*, qui est mors. (3)  
à *Subiecto*, quod 1. describitur per explicationem rhetoricam, quia (a)  
dicitur mundus. (b) omnes homines. 2. Probatur ex effectu, quia  
omnes peccarunt. II. *Diluit*, quod hic erat necessarium, alias enim

II

Apostolus non se junxisset per v. 13. & 14. *δοξολογία ἀπερίσβεστη*. Vide-  
bat n. Apost., sibi objici posse nonnulla dubia è protasi v. 12. proposita.  
Priusquam igitur pergit ad *δοξολογία ἀπερίσβεστη* per brevissimam  
facit digressionem, ut, quæ sibi poterant opponi, anticipare  
lueret. Potuerunt autem ipsum sic alloqui: Paule, tu doces, quod  
peccatum per unum hominem introierit in mundum, i.e., in  
homines, ut omnes peccarint. Quâ ratione autem illud potuit  
ante Moysen? quia 1. ante illum Adami posterii non habuerunt legem.

Natura

## CONTRA PRÆ-ADAMITAS.

Nam Apostoli D. N. J. C. docent, quod lex per Mosem sit data, illudq; convenit cum historia Exodi. Johannes Apostolus & Evangelista expressè illud scribit in Evangelio. Si itaq; effectus non est prior suâ causâ, sequitur legem ante Mosem non fuisse. 2. Si lex non fuit ante Mosem, peccatum quoq; ante ipsum non fuit, quia ipse cap. 4. docet: Ubi non est Lex, ibi non est legis prævaricatio, sive peccatum. 3. Posito, adultos ante Mosem peccasse, inde tamen non sequitur, quod omnes homines peccarint, vel peccatum in omnes homines transierit. Infantes quidem sunt homines; Adamo verò peccanti sunt dissimiles. Talis lector & interpres verborum Pauli erat Pelagius, qui parvulos sine peccato nasci contendebat, ejusq; discipulus Cœlestius, de quo scribit B. Augustinus Tom: 7. de peccato Orig: contra Pelagium & Cœlestium cap: 1. p. 78. Et Cœlestius quidem in hoc exitit errore liberior, usq; adeo, ut neq; in episcopali judicio apud Carthaginem damnare voluerit eos, qui dicunt, quod peccatum Adæ ipsum solum læserit, & non genus humanum, & quod infantes, qui nascuntur, in eo statu sint, in quo Adam fuit ante prævaricationem. Tales quoq; Pauli interpretes sunt nostris temporibus Photiniani & Anabaptistæ, docentes, parvulos sine peccato nasci. Ut itaq; obstacula illa removerentur, Apostolus ad omnia, quamvis breviter, satis tamen perspicuè respondet illis, qui ita poterant argumentari:

Ante Mosem non fuit lex.

E. Ante Mosem non fuit peccatum.

Resp: 1. ad Antecedens per Inversionem:

Ante Mosem fuit peccatum.

E. Ante Mosem fuit Lex.

*Antecedens* proponit v. 13. Usque ad legem enim erat peccatum. *Consequens* probat per *ἀντιπεσέσθαι*, cujus altera pars (quia imputatum est peccatum) implicite est posita; altera (peccatum verò non imputatur lege existente) explicite vers. 13. Qualis *ἀντιπεσέσθαι* apud Apostolum est usitata. 2. Ad *Consequens* negando: Si enim peccatum non fuisset ante Mosem, & subjectum peccati non fuissent omnes homines ab Adamo usque ad Mosem, peccati effectus quoq; non fuisset, neq; in omnes homines, qui ab Ada-

V. 13.

v. 14.

mo usque ad Moſen vixere, mors regnaſſet; ſed regnavit mors ab Adamo usque ad Moſen etiam in parvulos, qui Adamo peccanti nondum fuerunt ſimiles, neque peccare potuerunt ad ſimilitudinem transgreſſionis Adami, quod proponit v. 14. Poſito itaque peccati effectu, puta regimine mortis ponenda quoque erat lex, ponendum erat peccatum, quod eſt cauſa regiminis mortis non tantum in Adamo, ſed quoque in omnibus illius poſteris, etiam in illis, qui non peccaverunt ad ſimilitudinem transgreſſionis Adæ, quales ſunt infantes. Digreſſione per *ἀνεκγοντολογία* facta & abſoluta Apoſtolus pergit ad *ἀπόδοσιν*, quæ generaliter habetur v. 14. in his verbis: qui eſt typus illius, qui futurus erat.

*Ad conſequens* quod eſt, Chriſtus mortuus eſt, ut omnes homines juſtificarentur, reſpondet per *ἄριστον* & *Ἰησὺν*. *ἄριστον* nobis exhibet v. 15. 16. 17. Quemadmodum enim reſpondit ad dubia, quæ eſt protaſi ſibi poterant objici: ita quoque per *ἄριστον* removet obſtacula, quæ ex apodoſi ſibi poterant ſequenti modo opponi: Paule, tu doces, quod Adam fuerit typus illius, qui futurus erat, id eſt, Domini noſtri Jeſu Chriſti, & D. N. J. C. propterea ſimilis ſit factus Adamo. Jam verò per Adami transgreſſionem in mundum vel omnes homines introiit peccatum Originale non verò Actuale. Quæritur igitur num Chriſtus, qui ſimilis factus eſt Adamo, ſaltem mortuus ſit & ſatiſfecerit pro peccato originali, & non ſimul pro peccatis actualibus? Proin ita argumentamur.

Chriſtus eſt ſimilis Adamo.

E. Chriſtus mortuus eſt, & ſatiſfecit pro peccato Originali, non verò pro actuali.

*Antecedens* non indiget probatione, quia ipſe doces, quod Adam ſit typus illius, qui futurus erat. *Conſequens* probamus, quia ipſe quoque fateris, peccatum, quod per Adami inobedientiam in mundum introiit, in omnes homines introiſſe. Illud verò dici nequit de peccatis actualibus. Multi enim ſunt parvuli & infantes, qui vel in utero materno peccato actuali nondum commiſſo moriuntur, vel eo vix egreſſi peccato actuali nondum perpetrato

ex hac

ex hæc vita rursus migrant & discedunt. Si itaq; Christus similis est Adamo, sequitur, illum duntaxat pro eo peccato esse mortuum, quod per Adamum, qvi peccaverat, in omnes homines transit.

Resp. Apostolus ad conseq. negando, quia similitudo illa, quâ Christus similis est Adamo, non consistit in similitudine peccati, quod in mundum introit, & doni, quod genus humanum habet per Dominum nostrum Jesum Christum. Nam peccatum dono est dissimile, quod 1. proponit v. 15. At non ut peccatum, ita & donum. 2. Probat Nam si hoc sequitur, quod unius delicto multi, id est, omnes homines sint mortui, multo magis sequitur, quod gratia Dei & donum per gratiam, quæ est unius hominis Jesu Christi in multos, id est, omnes homines redundavit, quod proponit v. eodem. Ubi describitur (A) peccatum 1. à *Subjeto*, quod sunt homines multi figuratè, propriè verò omnes. Nam v. 12. dicit, quod subjectum peccati sit mundus vel omnes homines. 2. Ab *Effectu*, qui est mors, quæ describitur à *Subjeto*, quod sunt multi, id est, omnes homines, quia v. 12. Subjectum mortis dicitur esse omnes homines. (B) Donum vel restauratio lapsus generis humani. 1. à *vocis notatione* per epexegetin, dicitur enim gratia Dei & donum per gratiam. 2. à *Causâ meritoria*, quæ est unus homo Jesus Christus. 3. à *Subjeto*, cui hoc donum est acquisitum, illud sunt homines multi figuratè, propriè omnes, quia v. 18. dicitur, ita & per unius justificationem redundat donum in omnes homines ad justificationem vitæ. 4. Ab *Effectu*, quia peccatum quidem est magnum, longè autem majus est donum, nam hujus tanta efficacia, ut non tantum pro peccato originali; sed etiam pro omnium hominum peccatis actualibus sit pretium sufficiens & abundans, quod ipsum denotat vox redundavit v. 15.

II. Non consistit in similitudine, quâ dicitur, quod per unum peccatè peccatum Originale introierit in mundum, vel omnes homines, & per unum Jesum Christum liberatio facta sit ab illo uno peccato Originale, quod 1. proponit v. 16. Et non sicut per unum peccatè, vel qui peccaverat, donum, id est, non sicut per

v. 15.

v. 16.

ut per unum qui peccaverat peccatum introiit in mundum: ita per unum Dominum Jesum Christum donum humano generi datum pro illo uno duntaxat peccato. 2. *probat* v. eodem. Nam iudicium quidem ex uno ad condemnationem; donum autem ex multis delictis ad justificationem. Ubi describitur I. peccatum originale ab effectu, qui est iudicium ad condemnationem. Nam iudicium quidem ex uno, inquit Apostolus, in condemnationem; quo uno nisi delicto? hoc enim explanat, cum adjungit, gratia autem ex multis delictis in justificationem. *Intelligamus igitur Apostolum*, inquit optimè August: lib. 1. de peccatorum meritis c. 12. pag. 812. *Et videamus ideo dictum iudicium ex uno delicto in condemnationem, quia sufficeret ad condemnationem, etiamsi non esset in hominibus nisi originale peccatum.* Et paulò post: *Ac per hoc ab Adam, in quo omnes peccavimus non omnia nostra peccata, sed originale tantum traducimus: à Christo vero in quo omnes justificamur, non illius tantum originalis, sed & cæterorum, quæ ipsi addidimus, peccatorum remissionem consequimur.* II. Donum ab effectu, qui est ex multis, id est, omnibus delictis ad justificationem perductio. Quare Augustin: lib. c. supra hunc v. p. 813. *Nam iudicium quidem ex uno delicto si non remittitur, id est, originali, in condemnationem jam potest dicere: gratia verò ex multis delictis remissis, hoc est, non solum illo originali verum & omnibus cæteris ad justificationem perducit.*

Hic rursus opponi poterat: Paule, tu doces, quòd Christus similis sit Adamo. Si itaq; per Adamum in omnes homines peccatum introiit, cur non omnes homines habent Christi iustitiam, & non justificantur? Proinde contra te ita argumentamur:

Christus mortuus est pro omnibus impiis, vel pro omnium impiorum peccatis.

E. Omnes impii justificantur & salvantur.

*Consequens* probatur, quia donum vel restauratio humani generis per Christum facta est liberatio figuratè ex multis, propriè ex omnibus delictis ad justificationem v. 16. Resp. ad *Consequens* 1. *distinguendo* inter illos, qui accipiunt exuberantiam gratiæ & doni & illos, qui exuberantiam gratiæ & doni nolunt accipere. 2. *Negando:*

*gando*: Non enim sequitur: si per unius delictum regnavit mors per unum, multò magis illi omnes, quibus Christus acquisivit abundantiam Gratia, & Doni iustitiæ in vita regnabunt per unum Jesum Christum: sed hoc sequitur: Si per unius delictum regnavit mors per unum, multò magis ii, qui exuberantiam Gratia & Doni accipiunt & non respuunt, in vita regnabunt per unum Jesum Christum, quod proponit vers. 17. Ubi describitur Donum, quod credentes per Christum accipiunt *i. emphaticè per epexegetin*, quod sit exuberantia Gratia & Doni, ut ostendatur, Christum non saltem esse mortuum pro illis impiis, qui in tempore gratia iustificantur, sed etiam pro illis, qui in tempore gratia non iustificantur. *2. à Subjecto*, non cui acquisitum est hoc donum per Christum, sed quod donum accipit, illud sunt iustificati, quia hi Christum cum omnibus illius beneficiis humano generi acquisitis magno desiderio accipiunt & amplectuntur, inq; illo solo acquiescunt & manent. *3. à fine & Effectu*, qui est in vita regnare, *cujus regiminis causa* est unus Jesus Christus, sicut *regiminis mortis causa* est unus Adam. *Causa* igitur, propter quam Christus hinc fit dissimilis Adamo, est penes ipsos homines, qui ad Christum in tempore gratia per salutarem contritionem & veram conversionem nolunt venire; non autem penes CHRISTUM; qui per unius CHRISTI iustitiam donum redundavit in omnes homines ad justificationem, id est, ut omnes iustificarentur. Quod ut porro declaret Apostolus, occupationibus & dubiis, quæ hinc moveri poterant, solutis, & per *ἀπαρ* rejectis, accedit ad *ipsam thesin*, & specialiter proponit, in quoniam Christus conformis sit Adamo, quare

v. 17.

v. 18.

v. 18. *1. proponit* sequens enthymema:

Peccatum per unius Adami delictum introit in omnes homines ad condemnationem.

E. Donum per unius Christi iustitiam redundat in omnes homines ad justificationem vitæ.

Ubi describitur *per expolitionem rhetoricam*, *i. peccatum originale* (1) *à Causa efficiente*, quæ est unius hominis delictum. (2) *à Subjecto*, quod sunt omnes homines. (3) *ab Effectu*, qui est omnium

B

conde-

## DISPUTATIO I.

IO

condemnatio. 2. Donum vel restauratio generis humani (a) à *Causa efficiente*, quæ est unius Christi iustitia. (b) à *Subiecto*, cui ea est acquisita. (c) à *Fine seu Effectu*, qui est iustificatio vitæ. II. *Probat.* Quemadmodum enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi: ita per unius obedientiam multi constituentur iusti, v. 19. Ubi describitur 1. Peccatum à *Causa*, quæ est inobedientia Adami, cuius effectus est constituere & efficere omnes homines peccatores 2. Restauratio generis humani à *Causa efficiente*, quæ est obedientia Christi, cuius finis est, omn. homines constituere iustos per acquisitionem. Hic rursus poterat objici: Audivimus, quod obedientia Christi iustos nos constituat, hic autem finis debebat esse legis, an itaq; lex non facit homines iustos? quæ propter ita argumentamur:

v. 19.

Obedientia Christi constituit nos iustos.

E. Lex nos non efficit iustos.

*Resp.* *Concedendo* utrumq; quia lex non est promulgata, ut nos efficiat iustos, sed introiit, ut abundaret delictum. Quod proponit v. 20. Ubi describitur legis promulgatio à *fine*, qui est, ut peccatum abundaret, quod est certissimum signum, legem non posse facere hominem iustum. Quomodo enim illud, cuius finis est, peccata exaggerare, & facere, ut peccatum abundet, hominem potest iustificare & iustum pronunciare. Hæc responsione datâ oponi poterat: Doces Paule, legem introiisse, ut peccatum abundaret; sed annon hic finis est perniciosus? quæ propter ita argumentamur: Lex introiit, ut abundaret delictum.

v. 20.

E. Lex est perniciosa,

*Consequ. probatur*, quia cognitio abundantia delicti adigit homines ad desperationem. *Resp.* 1. ad *conseq. negando*, quia peccatum per legem quidem sit potens & hominem accusat, terret, damnat: ubi v. exundavit peccatû, ibi exundavit gratia. Quod proponit v. 20. Ubi describitur gratia vel donû ab *effectu*, qui est longissimè & abundanter superare peccatum. 2. *Ad probationem conseq. etiam negando*, quia *causa finalis*, propter quam lex facit, ut peccatum abundet, non est, ut homo in peccatis desperet, sed ut peccato, ejusq; regimine

mine

mine per legem agnito & rejecto, submittat sese regimini gratiæ, & vitam æternam consequatur per Jesum Christum Dominum nostrum, quod proponit v. ultimo. Ubi describitur regimen peccati, & regimen gratiæ. Præius 1. à causa efficiente, quæ est peccatum. 2. à Subjecto, quod sunt impœnitentes & nondum justificati: hi enim adhuc sunt in morte, in qua peccatum regnat. 3. ab Effectu, qui est mors. Posterius 1. à Causa efficiente, quæ est gratia Dei. 2. à medio, per quod regnat, illud est justificatio Christi. 3. ab Effectu, qui est vita æterna, cujus causa efficiens est Dominus noster Jesus Christus.

V. 21.

**Q**uibus resolutis demonstrandum erit, quomodo tu (autorem Exercitationis super v. 12. 13. & 14. D. Pauli ad Rom. alloquimur) à malo spiritu sis seductus, & à divinæ veritatis tramite longissimè aberraveris. Nam de tribus hisce versibus scribis in Proœmio systematis Theologici ex Præ-Adamitarum hypothesi: *quamvis hac animo meo insideret dubitatio; nihil tamè de illâ audebam proferre, quod non saperet receptam opinionem de Adamo primo omnium hominum creato: donec incidi in versus 12-13-14. cap. 5. Epist. D. Pauli ad Romanos: quos abhinc viginæ plus minus annis & mente & manibus verso. Ac veluti qui per glaciem incedit, suspendit gressus suos, ubi astrictam minus, vel sauciam, diffidit: ubi verò concretam & acrius induratum sentit, fortius figit pedem: timui primò, ne vel plantas mihi secaret dubia hæc disputatio, vel in profundam hæresin devolveret, si quando illi diutius insisterem. Verùm ubi tandem per hos versus Apostoli scire licuit, peccatum fuisse in mundo, antequam imputaretur hominibus: ubi deinceps novisse datum est, illudq; inconcusse, peccatum cœpisse imputari ab Adamo; ausus sum animo, & totam hanc disputationem usq; adeò solidam expertus sum, ut præter illam crepido minus pede vectus sim. Reperi homines trans & ultra illam imputationem peccati, qua originem traxit ab Adamo; qui quidem peccaverant, sed quibus peccatum non imputatum fuerat ad similitudinem Adami, cui primo omnium hominum peccatum imputatum fuit; atq; ita imputatum, ut illi, & in illo omnibus hominibus reputatum in crimen, & versum fuerit in mortem.*

2. Quidnam verò te moverit, ut animum appelleres ad in-

B 2

vesti-



vestigandos homines alios doces exercitat cap. 8. pag. 17. 18. *Primum ergo, & pressissime dicam, eò me lubentius animum appulisse ad investigandos alios homines ante Adamum creatos; quod putavi, nullam hinc posse oriri incommodum fidei, quæ est ex Evangelio. Idem enim fore concepi fatum positionis hujus apud Theologos, quale est celeberrima questionis de motu terræ apud Astronomos, sive enim cælos credimus circumagi, sive terram existimamus subverti; succedunt nihilominus vice perpetuâ, & dies nocti, & diei nox: revolvuntur iidem statim & præscriptis temporibus tempestates quæq; anni: segetes florent vere, quæ æstate matura fiunt; spumant vina autumnò, quæ bieme defæcantur. Pari eventui, sive credimus Adamum fuisse creatum solum, & primum omnium hominum; sive ponimus alios homines ante Adamum fuisse genitos, stabit semper suo loco, & suis mysteriis religio omnis christiana. Et pag. 19. Opinione ut sæpe sit, & vulgato magis consensu, quàm exquisitâ veritate credi videtur, Adamum fuisse primum omnium hominum, qui in luminis oras prodierunt. Illud enim neq; dicunt usquam, neq; intelligunt sacra & canonica pagine. Imò è contra colligitur ex iisdem, quod probare in promptu erit, alios homines Adamum antecessisse. Adde, quod ex positione hæc, quæ statuit primos homines ante Adamum creatos, clarior multo apparet historia Genesios. Conciliatur eadem cum seipsa. Conciliatur item miris modis cum monumentis omnibus profanis sive antiquis sive recentioribus; Chaldeis putâ, Aegyptiis, Scythis & Sinensibus. Conciliatur vetustissima rerum creatio, quæ exponitur cap. 1. Gen. cum hominibus Mexicanis, quos non ita diu Columbus penetravit. Conciliatur eadem cum hominibus illis australibus & septentrionalibus, qui nondum cogniti sunt. Quos omnes, sicut & illos primæ & vetustissimæ creationis rerum, quæ enarratur c. 1. Gen. probabile est creatos fuisse cum terra ipsa in terris omnibus, neq; ab Adamo propagatos. Per hanc rursus positionem conciliatur fides cum rectâ ratione, quæ non patitur, ut statuamus mundum natum his initiis, à quibus secundum Hesiodi computum vix dimidia corvi unius atas confecta est. Conciliantur demum hoc posito, quæ videntur contraria versibus his apostoli, de peccato originis, in quo recumbit doctrina omnis Christiana. Idem ferè dicis c. 26 p. 51. Secundum est: nullum prorsus oriri incommodum (quod mihi saltem visum fuerit) ex positio-*

positione hæc: imò è contra commoda multa ex illa percipi. Lucem magnam afferri cum evangelio & versibus his D. Apostoli; tum etiam historia Geneseos. Quibus subjungendum quod scribis p. 17. At certè nunc non est ut olim fuit. Melioribus natus seculis & auspiciis Deum veneror, ut talem avertat invidiam, & tam benignè accipiantur quæ cogitavi super his, quàm sincerè & ingenuè exercitationis causâ hic à me exhibentur.

3. Quænam verò tibi potuerint obstare, quò minùs tuam de præ-Adamitis sententiam publicares, doces c. 8, p. 17. Non inficior, quin primo obtutu statuere primos homines ante Adamũ conditos, præter communem Theologorum omnium sententiam, conturbare videatur conscientias, non in tranquillo illas collocare. Exhorrescent scilicet & refugient, non dicam d'Etu, sed cogitatu quotquot sunt religiosa vetustati ad dicti. Neque rursus illud me latuit, quàm malè multatus fuerit ille aquid veteres, qui demonstrabat homines esse antipodas, & hemisphæria ad diametros nostri orbis opposita. Metuendum nempe mihi fuisset temporibus illis antiquis & rigidis, neque felicius mihi cessisset nova tempora cogitanti, quàm infeliciter cesserat novo illi Cosmographo novos mundos indaganti. & cap. 26. p. 52. Tertium est, ais, quod unicè benignum meum lectorem oratum volo. Ut quæcumque hic congeffi, scripta putet exercitationis gratiâ. Nihil enim ausim asserere de his quæ videntur parùm convenire cum receptâ opinione totius Ecclesie. Cujus præceptis, atque illud iterum medico, totum me sine fraude & devotissimè addico. Quamvis in proœmio systematis theologici fatearis, quod opinio sit nova.

4. Tantum itaque tribuis tuæ sinistrae interpretationi horum trium versiculorum, putâ 12. 13. 14. c. 5. epist. ad Roman. ut illos hypothesis tuæ de primis hominibus ante Adamum conditis statumina appellare haud veteraris, c. 1. system. theol. p. 1. ubi dicis: Reponam versus ipsos Apostoli cap. 5. ad Rom. quia sunt systematis hujus statumina. Et versiculis ipsis recitatis immediatè subjungis p. 2. Principio notandum est, locum hunc singularem & unicum esse, quo tractatio peculiaris instituitur peccati originalis vulgò dicti, quod ab Adamo in omnes homines imputatione pertransit: neque alium signari in totâ sacrarum liberarum mole, & quantus liber est utriusque faderis, quo perspicuè & ex professo disputetur de peccato illo Adamico.

5. Exhiscce patet, hypothesin de præ Adamitis nisi hoc unico scrip-  
turæ loco, puta, versiculis 12, 13, 14, cap. 5. ad Rom. quos ita verten-  
dos esse judicas exercit. c. 1. p. 1. & syst. theol. p. 1.

v. 12. *Sicut per unum hominem peccatum intravit in mundum, &  
per peccatum mors: ita etiam in omnes homines mors pervasit, in quo  
omnes peccaverunt.*

v. 13. *Nam usq; ad legem peccatum erat in mundo. Peccatum v.  
væ imputabatur non existente lege.*

v. 14. *Regnavit autem mors ab Adamo usque ad Moysen in eos  
etiam, qui non peccaverant ad similitudinem transgressionis Adami, qui  
est typus futuri.*

6. *Quam versionem nos libenter admitteremus, nisi vox  
imputabatur pro præsentì imputatur esset posita, & vox peccave-  
rant pro præteritò peccaverunt. Falsum enim est, quod scribis  
cap. 10. pag. 22. exercit. Legendum verò hoc loco: peccatum non impu-  
tabatur; quamvis recentiores versiones habeant: Peccatum non impu-  
tatur: Vetus enim & vulgata versio legit expressim imputabatur. Quan-  
quam verò hæc duarum vocum interpretatio te nihil juvat, ut è  
seqv. erit perspicuum: satius tamen fuisset, ut nullâ ratione hîc  
contrarium postulante, illud, quod in ipso fonte Spiritus S. voluit  
esse tempus præsens, vel præteritum, per idem quoq; tempus red-  
deretur & exprimeretur. Neq; hoc loco citari debebat vetus &  
vulgata versio, de qua dicis, quod expressè legat imputabatur. Non  
enim quæritur, quomodo illa legat, sed legere debeat.*

7. *Frustra quoq; & sine ratione dicitur l. c. & verisimiliter  
oportuit veteres Græcos codices ita conceptos fuisse: ἀμαρτία ἢ ἡ  
ἔλλογῆς μὴ ὀλίγον ῥόμος. Incuriâ verò notriorum, qui primum pe-  
dem literæ μ, ad verbii μὴ, continuâ serie scripserant cum verbo ἔλλογῆς,  
reliquum verò literæ ejusdem μ longiusculè & disjunctum à primo pede,  
accidisse, ut ἔλλογῆς: primum corruptius, deinde ἔλλογῆς repositum  
fuerit: quamvis verò scribendum fuisset ἔλλογῆς, quod postulat brevior  
& genuina magis hujus loci sententia. Quomodo enim incuriâ scri-  
barum illud factum esse dici potest, cum istius incuriæ nullum  
hic*

hîc detur vestigium? Si in textu legeretur, ἀμαρτία ἢ ὅτι ἐσλο-  
 γῆται, tunc certum daretur signum, quòd terminatiò imperfecti  
 esset mutata in terminationem præsentis. Præsens enim nullum  
 habet augmentum, præteritum autem augmentum desiderat juxta  
 communes regulas. Jam verò non legitur ἐσλογῆται cum au-  
 gmento, sed ἐλλογῆται absq; augmento. Absit itaq; ut dicamus,  
 incuriâ notariorum hîc mutationem esse factam terminationis  
 præteriti imperfecti in præsens. Qui hîc erravit, ipse errorem  
 suum fateatur, & culpam non transferat in innocentes scribas ac  
 notarios. Cæterùm hîc quoq; exponendum erat, quare brevior  
 & genuina magis hujus loci postulet sententia, ut pro ἐλλογῆται  
 legeretur ἐλλογῆται. Non enim sufficiebat hoc dicere, sed requi-  
 rebatur, ut id, quod novum est, si ei fides habenda, etiam proba-  
 retur. Quod cum fieri non potuerit, ipse l. c. coactus es scribere:  
*Utrumq; cerè ut idem significans, potuit legi impune, & utrumq; semper  
 erit hoc loco subaudiendum, sive ἐλλογῆται, sive ἐλλογῆται scribatur.* Si  
 itaq; utrumq; impune legi potest, cur recedis à communi senten-  
 tia: Quo autem jure dicatur 1. quod utrumq; legi possit, illis est  
 cognitum, qui norunt discrimen facere inter significationem præ-  
 teriti & præsentis; illi enim omnes ajunt: præteritum & præsens  
 non idem tempus consignificare. 2. Quod scribis cap. 10. pag. 25.  
*Verius ergo, ut brevius & elegantius legendum est hoc loco, imputabatur,  
 non imputatur.* Quomodo enim hoc sequitur: utrumq; cerè ut  
 idem significans potuit legi: Verius E. ut brevius & elegantius  
 legendum est hoc loco, imputabatur, non imputatur. Quis e-  
 nim diceret, illud verius & elegantius dici, quod non est verum &  
 elegans?

8. De anxietate interpretum in explicatione horum versuū  
 nimis audacter scribis cap. 8. p. 16. exercit. *Neg; verò mirum prorsus  
 mihi videtur, quod interpretes versus illos Apostoli tractantes feliciter mi-  
 nùs elucidaverint. Angebantur enim undiq; in explicatione hujus loci:  
 usq; ad legem. Velenim lex illa intelligenda erat de lege datâ Mose  
 afferendum erat peccatum fuisse in mundo ante Moysen & usq; ad Moysen;*  
 pecca-

peccatum verò per illud tempus non fuisse imputatum. Si lex illa intelligatur de lege datâ Adamo, statuendum erat peccatum fuisse in mundo ante Adamum & usq; ad Adamum; peccatum verò ante Adamum non fuisse imputatum. Ponendi ergo erant alii homines ante Adamum, qui quidem peccavissent, sed qui non peccavissent imputativè, quia ante legem peccata non imputabantur. Inter utrumq; incommodum positi interpretes dubitabant, nec planè sciebant, quò se verterent. Quia verò minùs gràve apparebat asserere, peccata non fuisse imputata ante Moysen & usq; ad Moysen, quàm statuere alios homines fuisse vel creatos vel genitos ante Adamum; post habuerunt illi secundum incommodum primo. Rejecerunt interpretes fabulosos illos homines, qui Adamum præcessisse credendi erant, & sibi alios acciverunt, qui non peccavissent imputativè ante Moysen. Quinam verò sint illi interpretes absq; omni dubio iple ignoras, aliàs non scripsisses c. 1. p. 2. exercit. Vulgati interpretes explicant illud, usq; ad legem, v. 13. de tractu illo temporis, qui intercessit ab Adamo usq; ad Moysen. Per quod tempus statuunt peccatum quidem fuisse in mundo, sed non datum fuisse crimini, sive non fuisse imputatum, ut vulgò dicitur. Statuunt, inquam, peccatum capisse imputari à Mose, non autem ab Adamo. Sunt quidem nonnulli, qui aliter atq; aliter hîc sentiunt: Nos verò ejusmodi doctores hic non habemus, nec habere illos decet. Contrarium enim docet ipse Deus, quando alloquitur Adamum & Cainum. Contrarium quoq; docet Paulus, quando ex imputatione peccati probat, quod ante Moysen vel potius ante legem à Mose promulgatam fuerit lex.

9. Quibus præmissis pergimus ad ἀλλοιοὺν versicul 12. 13. & 14. quam proponis Exercit: cap. 9. 10. & 11. Præmittimus autem ei verba Apostoli, eorumq; genuinam interpretationem.

Vers 12. Διὰ τῆς ἁμαρτίας  
δι' ἑνὸς ἀθρώπου ἡ ἁμαρτία εἰς τὸ  
κόσμον εἰσῆλθε, καὶ διὰ τῆς ἁμαρ-  
τίας ὁ θάνατος, καὶ ἕτως εἰς πάν-  
τας ἀθρώπους ὁ θάνατος διήλθεν,  
ἐφ' ᾧ πάντες ἠμαρτήσαν.

V. 12. Propterea sicut per  
unum hominem peccatum in mun-  
dum introiit, ac per peccatum  
mors, & ita in omnes homines  
mors pervasi, quia omnes pecca-  
verunt.

V. 13. Σα-

Ψ. 13. (Ἄχρι τοῦ νόμου αἰμαρ-  
τία ὡς ἐν κόσμῳ· αἰμαρτία ἢ ὡς  
ἐλλογέται μὴ ὄντι νόμου).

Ψ. 14. Ἄλλα ἐβασίλευσεν ὁ  
θάνατος ὡς ἀπὸ Ἀδάμ μέχρι Μω-  
σέως, καὶ ἵνα εἴδῃ μὴ αἰμαρτήσαν-  
τας ἵνα παρ' ὁμοιωματι τ' παραβά-  
σεως Ἀδάμ, ὅς ἐστι τύπος ἢ μέλ-  
λοντος.

Ψ. 13. Nam usq; ad legem  
peccatum erat in mundo: pecca-  
tum autem non imputatur non  
existence lege.

Ψ. 14. Regnavit autem  
mors ab Adam usq; ad Moysen in-  
eos etiam, qui non peccaverunt  
ad similitudinem transgressionis  
Adæ, qui est typus illius, qui fu-  
turus erat.

De analysi horum versuum dicis cap. 9. p. 20. Exercit: Hi ver-  
sus explicari mihi videntur commodissime hoc modo:

Sicut per unum hominem: Per Adamum, qui transgressus est le-  
gem Dei: sive per transgressionem legis, quam Adamus violavit.

Peccatum intravit in mundum: Ortum & natum est peccatum,  
originem accepit, sive quòd idem est, intravit in mundum à transgressionem  
legis, quam DEUS dedit Adamo. Peccavit enim Adamus ex quo vio-  
lavit interdicitam arborem, & ex quo transgressus est legem, quam DEUS  
illi dederat. Et per peccatum mors: Intravit mors in mundum per pec-  
catum, quâ ratione peccatum intravit in mundum per violatam legem ab  
illo uno homine Adamo.

Ita etiam mors in omnes homines pervasit, in quo omnes  
peccaverunt: Pervasit mors in omnes homines per eundem homi-  
nem per quem omnes peccaverunt. Quæ verò proxime dixerat A-  
postolus: intravit peccatum in mundum, & per peccatum mors: crane  
satis ad demonstrandum introitum peccati & mortis in mundum;  
ad demonstrandam item relationem, quæ est inter peccatum & mortem;  
ut posito peccato mors necessario poneretur & sequeretur. Verùm ut  
plenius significaret introitum illum, & totam relationem adimpleret, con-  
vertere voluit propositionem Apostolus: ut quemadmodum posito pec-  
cato ponitur & sequitur mors; ita etiam reciprocè positâ morte inferretur  
necessariò peccatum.

C

io. Quam

10. *Q*uam analysin vers. 12. nos quidem acciperemus, nisi hic angvis in herbâ lateret frigidissimus, sanctorum Prophetarum & Apostolorum scripta astute conspiciens. Nullam enim vocem significativam v. 12. 13. 14., sicuti decebat Christianum interpretem, declaras ac interpretaris. Nam *per UNUM HOMINEM* v. 12. intelligis quidem Adamum primum hominem, sed ejusmodi Adamum, quem novit neq; Moses, neq; Elaias Propheta, neq; Paulus Apostolus, neq; tota Ecclesia Christiana. Solus autem tu novisse illum didicisti ultimo hocce, satis autem afflicto, & perturbato seculo. Nam negas Adamum esse primum omnium hominum simpliciter, gloriaris itaq; in Proem. System. Theolog., quod repereris homines trans & ultra imputationem illam peccati, quæ originem traxit ab Adamo. Confiteris autem, quod illos reperire non potueris, priusquam incideres in v. 12. 13. 14. c 5. ad Romanos. Dicis enim in principio Proemii Syst. Theol. *Conditi orbis epocham non ducendam esse ab illo principio, quod vulgò figitur in Adamo, naturalis est suspicio omnibus insita cognitione rerum vel mediocriter imbutis.* Et paucis interjectis: *Sed quamvis hac animo meo infideret dubitatio, nihil tamen de illa audebam proferre, quod non saperet receptam opinionem de Adamo primo omnium hominum creato, donec incidi in v. 12. 13. 14. cap. 5. Epist. ad Rom., quos abhinc viginti plus minus annis & mente & manibus verso.* Sed unde novisti naturalem suspensionem omnibus esse insitam cognitione rerum vel mediocriter imbutis, conditi orbis epocham non esse ducendam ab illo principio, quod vulgò figitur in Adamo? Non illa suspicio insita & implantata fuit sanctis Prophetis, vel Apostolis, vel Ecclesiæ christianæ Doctoribus. Neque dici potest, eam tibi esse insitam & implantatam. Quod verò dubitatio quædam de primo homine Adamo infideat animo tuo facile largimur; Diabolus enim potens est ad seducendos mortales, ut in periculosissimos errores sese turpissimè præcipitent. Sed quomodo illa dubitatio tibi est eximenda? An putas id fieri posse ex versiculis citatis, tuâ hypothesi de Præ-Adamitis manente salvâ? Absit. Sicuti enim Moses, Elaias Propheta: ita quoque Paulus in hoc præcipuè loco  
tibi

tibi in faciem contradicit, quod ex sequentibus constabit li-  
quidò.

II. Moses dicit Gen. 2. *Itaq; perfecti sunt cœli & terra omnisq; exercitus illorum v. 1. Quum autem perfecisset Deus die septimo opus suum quod fecerat, quievit ipso die septimo ab omni opere suo, quod fecerat. v. 2. Et benedixit Deus diei septimo, & sanctificavit ipsam: quum in eo quievisset ab omni opere suo, quod creaverat Deus faciendo. v. 3. Ista sunt generationes cœli & terra, quando creata sunt, qua die Jehova Deus fecit terram & cœlum. v. 4. Et omnem stirpem agri, qui nondum fuisset futurus in terra, omnemq; herbã agri, qua nondum fuisset oritura. Quum non demississet Jehova Deus pluviam super terram, & nullus homo fuisset ad colendum terram. v. 5. Aut vapor ascendens è terra qui irrigaret universam superficiem terræ. v. 6. Finxit verò Jehova Deus hominem de pulvere terræ, sufflavitq; in nares ipsius halitum vitæ. Sic factus est homo anima vivens. v. 7.* Quibus verbis per ἐπιγενῆσθαι, quã in scriptura sac. nihil usitatiùs, illud, quod cap. 1. concisè & succinctè Moses proposuerat, uberius exponit & declarat. Quod ipse quoq; fateris. Nam lib. 3. cap. 2. pag. 113. Syst. Theol. apertè scribis: *Expeditis & perfectis capite primo diebus creationis sex, incipit Autor Genes. secundum caput à sanctificatione Sabbathi, qui dies septimus est, & resumit, qua primo capite dixerat de creatione universi.* Si itaq; scripturæ mos est, uti omnes sciunt illius interpretes, & B. Augustinus refert lib. 6. cap. 2. in Genes. *Sapè aliqua brevi compendio narrare, & postea ad ea latius differenda redire.* Si quoq; specialis repetitio facta est 1. quietis & cessationis divinæ. 2. benedictionis septimi diei. 3. sanctificationis Sabbathi. 4. operis die tertio producti; cur non repetitio facta fuisset nobilissimi istius operis, quod sexto die est creatum? Nam immediatè subjungitur, quòd finxit Jehova Deus hominem de pulvere terræ &c. Ubi primus homo describitur 1. à formatione corporis. Nam cap. 1. dicitur in genere DEUM creasse hominem; hîc autem ostenditur, quomodo, & unde illum condiderit. 2. ab anima inspiratione. 3. à loco. 4. ab officio, 5. à societate conjugali. An igitur sufficebat, ut à com-



muni totius Ecclesiæ sententiâ recederes, illa unica eaq; falsissima præsumtio, quâ statuis, quòd impossibile fuerit, transacta esse illa omnia, quæ narrantur cap. 2. ab Adamo formato usq; ab Evam ædificatam, per id temporis, quod potuit adhiberi à vespere ad mane unius diei. Falsissimum est, quod scribis lib. 3. cap. 2. pag. 114. Systemat. *Formationem hanc Adami, patris primi Judæorum, de qua agimus, non fuisse primam illam creationem hominis, de qua mentio fit superiori cap. Gen. Hanc, inquam, formationem Adami secundam & secundi cap. Genes. non fuisse primam illam & primi capituli creationem, hinc maxime præsumitur: quòd pro indubitato & confesso sit, primam illam creationem & primi capituli, quæ ex mea hypothese primorum hominum creatio est, confectam fuisse uno illo sexto & ultimo creationis die, qualis describitur capite illo primo. Impossibile sed enim est, transacta fuisse illa omnia, quæ narrantur cap. 2. ab Adamo formato usq; ad Evam ædificatam, per id temporis, quod potuit adhiberi à vespere ad mane unius diei. Ergo multò minus per dimidium diei illius sexti, quo DEUS creavit primum animalia omnia, deinde hominem. Numeremus certè momenta singula, quibus declarare DEUS voluit facta fuisse illa omnia cum tempore, quamvis potuisset agere sine tempore: nihil tale reperiemus in primâ creatione hominum: non acta intercesa creationum masculi & femine, qualia sunt lo. go tempore interrupta ab Adamo usque ad Evam. Causa enim efficiens hic non est creatura sed ipse creator, qui potest cumulatiè facere ultra omnia quæ petimus aut cogitamus Ephes. 3. v. 20. & cui omnia sunt possible Marc. 14, 6. Hic unius diei intervallo totum cœlum, amplissimum illud mundi theatrum mirifice exornavit splendidissimis luminibus, eaq; suis collocavit locis cum vicinis tum longissimè à se invicem remotis lege constanti & ordine perfecto. Si itaq; DEUS O. M. univèrsum cœlum, cum quo totius terræ moles, eaq; omnia, quæ in terra sunt, nullam habent proportionem, unius diei spacio, quod momento potuisset condere, exornavit tot luminibus ipsam terram quantitate multum superantibus; cur dicemus, impossibile fuisse transacta illa omnia, quæ narrantur cap. 2., ab Adamo formato usq; ad Evam ædificatam, per id temporis, quod potuit adhiberi à vespere ad mane*

mane unius dici. Nicodemo fanè, qui ita cogitat, longè est deterior, & indignissimus omnium, qui in conspectum Salvatoris mundi procedat, etiamsi illum mediâ nocte velit adire & alloqui. Unde autem sis seductus sole clarius apparet è Cap. 1. l. 3. System. pag. 109. Ubi minùs verècundè scribis: *Verum n. verò legere id quod vel opinione inductus; vel superstitione præoccupatus, neq. velis neq. audeas intelligere nec legere est. Fidem ego hîc qua adhibetur mysteriis sacris interpello: sed fidem illam, qua bonæ mentis soror est, quæ rectam rationem amat. Fatessant ergo hinc miracula incomposita & malè conciliata, quæ sibi illi fingunt, qui ad fidem otiosam recurrunt, & non necessariam Dei omnipotentiam, si quando ratione minus possunt. Hoc illi proficiunt, ut cum omnia sine delectu credant, nihil illis credatur. Ubi enim ratio tota enervatur, ibi cadit tota fides.*

12. Esaias Propheta si vocat Adamum cap. 43, 27. Patrem Judæorum, inde non sequitur, quòd non sit pater gentium; unius enim inclusio non est alterius exclusio. Sic enim non loqueretur de alio homine, quàm de illo, quem ante nullus alius peccator fuit, illud patebit ex prædicato, per quòd de illo dicitur, quòd primus peccaverit, si enim ille primus peccavit, quomodo ipso aliî homines peccatores potuerunt esse priores tempore? Neq. hîc distinguendum erat inter peccatum formale & imputatum; & inter peccatum naturale & non imputatum, quia hæc tua distinctio scripturæ & Ecclesiæ sacræ planè est incognita. Non itaque dicendum erat, quòd ante Adamum homines peccaverint materialiter non autem formaliter. Adducitur quidem in testimonium Paulus Apostolus. Sicut autem ipse contrarium docet 1. Corinth. 15. ubi Adamus primus homo dicitur simpliciter sine ullâ determinatione: ita quoq. cap. 5. ad Romanos eandem profiteretur veritatem, & neutiquam docet, quòd peccatum fuerit ante legem Adamo traditam, sicut id liquidò infrâ manifestabitur. Absit itaq. ut unius mortalis hominis falsissimâ hypothesi ducti accipiamus id, cujus nulla vestigia in sacro Codice oculati & rerum theologiarum peritissimi Doctores hætenus potuerunt animadvertere.

13. Secunda vox significativa versu 12. est PECCATUM, quam vocem ita depravas tuâ corruptâ interpretatione, ut genuina significatio, ei à Spiritu Sancto data & assignata, planè intereat & destruat. Distinguis enim inter peccatum materiale & formale: non imputatum & imputatum. De hac distinctione dicis cap. 14. pag. 28. Exercit: *Utrumq; autem brevi methodo absecurans scilicet uti verbis Scholæ, distinguendo peccatum in materiale & formale. Peccatum materiale voco illud, quod manat à natura nostra, à materia, à carne & sensibus nostris. Peccatum formale illud, quod manavit à lege, cujus transgressione peccatum formam imputationis accepit. Et System: Theol: cap. 1. pag. 3. Peccatum ante legem non imputatum vocare licet naturale, quatenus à nulla prohibitione legis pependit, sed à puris & pravis nature humane appetitionibus ortum habuit: Peccatum post legem imputatum vocare, datur legale, quatenus à mem legis transgressione originem duxit. Et pag. 7. Duplex statuimus peccatum in Adamo, naturale & legale. Naturale, quod naturaliter Adamo inhaesit ex vitio nature sue & materia peccatrici quâ formatus est. Legale, quod accidit & imputatum fuit Adamo ex violata lege Dei. Naturale, quod affectit sensum, materiam, & naturam Adami corpoream. Legale, mysticum & spirituale, quod infregit legem mysticam & spiritalem, qua non nisi ratione & spiritu concipi potuit. Et paulò post eandem paginâ: Duplex itidem peccatum considerabimus in omnibus hominibus, quale & duplex in Adamo statuimus: naturale, & legale. Naturale, quod suâ sibi naturâ peccatrici hominibus omnibus innatum visceribus eorum naturaliter & radicitus infixum est. Quod prodiit ex adipe eorum, ut eleganter locutus est Psal. 73. Legale, quod accidit & imputatum est omnibus hominibus ex transgressione legis Dei, quam Adamus violavit. Naturale, quod affectit sensum, materiam & naturam omnium hominum corpoream. Legale, quod pervasit in omnes homines ex peccato legali Adami spiritualiter & ratione mysterii. Et lib. 5. cap. 1. p. 240. peccatum naturale vocas, peccatum in carne, peccatum carnale & naturale: Peccatum enim, inquis, in carne idem est, quod peccatum carnale, materiale & naturale. Et cap. 14. pag. 29. exercit. dicitur: Peccatum, quod erat peccans simpliciter & materialiter ante legem, factum fuit peccans*

*causæ ῥῶν ἐπιβλήων, ut loquitur Apostolus cap. 7. hujus Epistola v. 13. formā superveniente, vel adventu legis, sive per imputationem violata legis. Et hoc est verum peccatum formale quod peccavit Adamus, quod peccaverant omnes homines in Adamo.*

14. Ex hisce satis constat, quid intelligas per peccatum naturale vel non imputatum; & peccatum formale vel imputatum. Nam peccatum naturale describis 1. à *qualitate*. Dicit enim, quod sit vitium naturæ, quod suâ sibi naturâ peccatrici homini innatum, ejusq; visceribus naturaliter & radicitus infixum. Quam ob causam illud vocas peccatum materiale, peccatum in carne, peccatum carnale. 2. à *Subiecto* quod dicit esse omnes homines non tantum illos, qui post Adamum in mundum venerunt, sed etiam qui tempore Adami in diversis mundi partibus habitaverunt, & infinitis seculis ante ipsum in mundo vixerunt. 3. à *Causa formali*, quæ est, à nulla prohibitione legis pendere, sed à primis & pravis naturæ humanæ appetitionibus ortum habere, unde illud appellas peccatum peccans simpliciter, materialiter, & non imputatum, peccatum mortuum & præcedens. 4. ab *Effectu*, qui esse dicitur, afficere sensum, materiam & naturam omnium hominum corpoream etiam ipsius Adami adhuc viventis in statu integritatis. Peccatum formale vel imputatum describis 1. à *Causa efficiente*, quam Adamum esse dicit, non verò, qui primus homo dicatur simpliciter sed typicè. 2. à *Subiecto*, cui illud peccatum imputatur. Illud dicit esse omnes homines, qui vixerunt tempore Adami in diversis terræ Zonis & regionibus, ipsumq; præcesserunt & secuti sunt. 3. à *Causa formali*, quæ est, non tantum Adamo accidere & imputari ex violatâ lege Dei; sed etiam accidere & imputari omnibus hominibus ex transgressione legis divinæ, quam Adamus violavit. Quare illud appellas peccatum legale, peccatum mysticum, peccatum spiritale, quod infregit legem mysticam & spiritalem, vel quod pervasit in omnes homines ex peccato legali, spiritualiter & ratione mysterii. 4. ab *Effectu*, qui dicitur esse mors non naturalis sed mystica & spiritualis. Sicuti id expressè doces, parte 1. System. lib. 5. cap. 5. pag. 265. *Per unum hominem peccatum*  
*intra*

*intravit in mundum, & per peccatum mors, addidit Apostolus eo loci. Ubi adverte, mortem de qua hic loquitur Apostolus, non naturalem intelligendam esse, quæ ex vitio innato & primæ creationis deprivatione, nec non ex peccato radicitus inherente præcordiis hominum inhaesit: Sed mortem spiritalem & mysticam hoc loco accipiendam, quæ secuta est imputationem spiritalem & mysticam peccati Adamici.*

15. Antequam verò ostendimus, quodnam illud peccatum esse existimes, de quo dicitur, quod per unum hominem in mundum introierit; necesse erit, ut ipse nobis prius exponas, unde habeas hæc distinctiones, utrum illas inveneris in sacro codice, an verò sine illius autoritate & testimonio eas protuleris. Quod autem illas inveneris neque in Mose, neque in Prophetis, neque in Evangelistis, sed in Paulo apertè fateris lib. 5. cap. 5. pag. 263. ubi ita scribere non dubitas: *Opinio porro hæc ab illa, ut prædixi, ducta est, quæ omnium hominum origo ab Adamo fluxisse creditur: opinio verò hæc de Adamo omnium hominum primo ab illa derivata est, quæ putatur Moses statuisse Adamum omnium hominum patrem, quia nullum expressim nomen hominis Adamico prius legitur apud Mosen. Quasi verò nihil existerit in verum naturæ, cujus expressim Moses non meminerit. At nullibi itidem dixit Moses, quod D. Paulus primus aperuit; peccatum intrasse in mundum per peccatum Adami, & mortem ex illo peccato, & in illo homine pervasisse in omnes homines. Et si nullibi hæc dixit, nullibi hæc eadem negavit Moses. Nullibi etiam dixit ille quod D. Paulus primus demonstravit: peccatum fuisse in mundo usq. ad legem vel ante legem, quod idem est. Legem, inquam, primordiale & primogeniam quam vocant melioris notæ Theologi quæq. hic intelligi debuit, utpote quam primam suarum legum omnium dedit DEUS Adamo, & à qua fluxerit imputatio peccati. Sed neque illud etiam negavit Moses, quod asseruit D. Paulus. Nisi itaque hic diceres, quod distinctiones illas D. Paulus aperuisset, indignas illas esse censeremus, ad quas vel unico responderetur verbo, Cur enim in illud curiosè inquireremus, quod nec ipse Moses neque Prophetæ, neque Evangelistæ, qui in rebus spiritualibus nostri sunt Præceptores, sciverunt & agnoverunt. Cùm verò tu provocas ad Pauli Apostoli, electi istius organi testimonium,*

ad

ad colloquium te admitteremus, ne quod olim Sibyllæ Amalthææ Oraculorū libros habenti tibi quoque non sine Ecclesiæ detrimento accidisse, conqueraris, & clamites.

16. Quæsumus itaq; nobis aperias, ubinam inveneris apud Apostolum illas peccati distinctiones, nostrâ enim multum interest, ut cognoscamus, quid sit peccatum originale, & quomodo peccatum unum distinguatur ab altero. Scimus enim & satis edocti sumus ab ineunte ætate, quod summa doctrinæ christianæ consistat in agnitione nostræ depravationis & reparationis per J. C. factæ. An itaq; verum esse putas, quod scribis part. 1. System. 1.1. cap. 3. Præterea liquido igne liquidius patet, Apostoli statuisse his versibus duo genera peccatorū tempore & qualitate distincta. Tempore distincta, ubi posuit peccatum ante legem, & peccatum post legem. Qualitate distincta, ubi voluit peccatum legem antecedens non fuisse imputatum; peccatum legem pone sequens fuisse imputatum. At Paulus: usq; ad Legem peccatū erit in mundo, peccatum verò non imputabatur, (sive non imputatur, ut quidam vertunt) non existente lege. At si peccatum erat in mundo usq; ad Legem, erat & ante Legem; & peccatum illud, quod legem violavit, post legem procul dubio fuit. Vides hic peccata tempore distincta, ante & post Legem instituta. Rursus, si peccatum non imputatur non existente lege, quis peccatum illud dicat imputatum, quod ante legem fuit, vel quod ante legem paratum est? Sin parte aliâ transgressio legis illa fuit, quæ imputationem peccato inussit, peccatum dicemus imputatum illud, quod legem fregit, atq; adeò post legem fuit. Vides hic peccata qualitate distincta: peccatum ante legem non imputatum; peccatum post legem imputatum. Et cap. 17. pag. 34. Exercit: Notandum præterea est diligenti simè, nullam aliam his versibus, & toto hoc capite, sive distinctionem, sive differentiam, sive dissimilitudinem peccatorum vel posuisse vel intellexisse Apostolum; præter illam, quæ est inter peccata imputata & peccata non imputata: inter peccata facta post legem, & peccata facta ante legem. Peccata facta post legem, imputata: Peccata facta ante legem non imputata. Peccata facta post legem datam Adamo, imputata: Peccata facta ante legem datam Adamo, non imputata. Peccata imputata post legem datam Adamo facta, ad similitudinem peccati A-

D

dami-

*damici, à quo lex cepit esse. Homines ergo qui non peccaverant ad similitudinem peccati Adamici, eos fuisse, qui peccaverant ante legem & Adamum, sed quorum peccata non imputata fuerant, quia ante legem peccata non imputabantur.*

17. Sed ostende nobis, quomodo illa igne liquido liquidius pateant, nos diligentissime, quicquid respondebis, notabimus. Si dicis: Paulum illa perspicue docere & tradere cap. 5 v. 13. & 14. Usq; ad legem peccatū erat in mundo: Peccatum a. non imputatur, ubi non est lex. Sed regnavit mors ab Adamo usq; ad Moysen in eos quoq; qui non peccaverant ad similitudinē transgressionis Adam, qui typus erat illius, qui erat futurus: summopere à te petimus, ut nobis haud gravatim exponas, quanam occasione Paulus dixerit v. 13. Usq; ad legem peccatū erat in mundo, peccatum a. non imputatur lege non existente; & quidnam ipsum moverit, ut Protasin, quæ est: *Quemadmodum per unum hominem peccatum in mundum intravit, ac per peccatum mors, & sic in omnes homines mors pervasit, quia omnes peccaverunt*: Se junxerit per v. 13. & 14. immediate v. 12. subsequentes ab Apodosis, quæ habetur in fine vers. 14? Solet enim conjungi apodosis cum protasi. Num aliam rationem hinc subesse arbitraris, quàm quòd Paulus voluerit respondere ad dubia illa, quæ è protasi v. 12. proposita ab auditoribus poterant moveri & opponi? Alia sanè esse non potest. Sicuti enim ab omni fidei Ecclesiæ Doctore desideratur, ut maturè apud animum suum perpendat, quid auditores offendat, quid iisdem probetur, quo animi ipsorum propendeant, ut id, priusquam obijciatur, præoccupet & diluat: ita quoq; Apostolus, sicuti solet, etiam hoc loco voluit occurrere objectionibus suorum auditorum, priusquam accederet ad apodosin. Nam *valde bonum est, inquit August. tom. 3. de doctr. Christ. lib. 4 cap. 20. ut quicquid eontradici potest, si occurrerit, refutetur, ne ibi occurrat, ubi non erit, qui respondeat: aut presenti quidè sed tacenti occurrat, & minus sanatus abscedat.* Quanam autem dubia Apostolo potuerint obijci, de eo nunc erit quæstio. In analysi cap. 5. tria à nobis sunt proposita. Quando enim Paulus eodem capite versu. 12. docuit, quod per unum hominem peccatum in mundum intraverit, & per peccatum

mors, & sic in omnes homines mors pervaserit, quia omnes peccaverunt: interrogari potuit cum ab illis, qui erant Romæ, tum ab aliis vocatis sanctis 1. utrum posteri Adami ante Mo- sen habuerint legem? Apostoli enim docebant, quod lex per Mo- sen esset data, illudq; conveniebat cum eo, quod legitur Exod. 20. 2. Utrum posteri Adami ante Mo- sen peccaverint? Nam ipse Pau- lus cap. 4. v. 15. ad Rom. docuerat: *ubi non est lex, ibi non est transgressio sive peccatum.* 3. Utrum omnes Adami posteri ante Mo- sen peccaverint, etiam illi, qui non peccant ex prælectione, quales sunt infantes. Ad hæcæ quæstiones Apostolus quidem breviter (prolixè enim hîc disputare non poterat, se- jungebarur enim apo- stolis à protasi) verum, nervosè, succinctè & perspicuè. Objectio est implicita. Responsio explicita. Objectio est:

Ante Mo- sen posteri Adami non habuerunt legem.

E. Ante Mo- sen posteri Adami non peccaverunt.

*Antecedens* probatur, quia lex per Mo- sen data est. Si itaq; effectus non est prior suâ causâ, lex quoq; non poterit esse prior Mo- se. *Consequens* probatur, quia ubi non est lex, ibi non est transgressio vel peccatum.

Resp. Apostolus ad *antecedens* per inversionem:

Ante Mo- sen posteri Adami peccaverunt.

E. Ante Mo- sen posteri Adami habuerunt legem.

*Antecedens* probatur v. 13. *Nam usq; ad legem peccatum erat in mundo.* *Consequens* probatur v. eodem, *quia peccatum fuit imputatum.* *Peccatum autem non imputatur lege non existente.*

18. Hæc voluimus hoc loco repetere è nostra analysi, ut fi- eret manifestum, quod distinctiones istæ, quibus distinguitur in- ter peccatum materiale & formale; non imputatum & imputa- tum, nullum hîc habeant fundamentum, neq; Apostolo unquam in mentem venerint, nec venire potuerint. Nam Romæ vel inter vocatos sanctos nemo fuit, qui interrogavit, 1. utrum ante Ada- mum fuerit lex? 2. Utrum ante Adamum fuerit peccatum? 3. U- trum ante Adamum peccaverint vel non peccaverint ad similitu- dinem transgressionis Adami. Si fuerunt ejusmodi homines Ro-



ma, vel inter vocatos sanctos, necesse erit, ut illud probes, sicut nos nostras probavimus quaestiones. Affirmanti enim incumbit probatio. Sin minus, cur eo audacia prorupisti, ut publicaveris id, quod hactenus est inauditum, & tota Ecclesia Christiana detestatur. Sed forsitan respondebis, Paulum Apostolum ita potuisse à quibusdam interrogari. Quamquam haec responsio nulla est, periclitemur tamen, utrum textus ille, quem vocas fulcimentum tuae hypotheseos de peccato materiali & formali, non imputato & imputato, illas quaestiones admittat. Sit itaq; objectio:

Ante Adamum non fuit lex.

E. Ante Adamum non fuit peccatum.

Si ita fuisset oppositum, quaeritur, quomodo Apostolus respondeat hanc ad objectionem, an per inversionem, vel per distinctionem, vel per alium respondendi modum usitatum. Prius procul dubio non concedes. Nam si responderetur per inversionem:

Ante Adamum fuit peccatum.

E. Ante Adamum fuit lex.

Destruitur tua hypothesis, quã statuis, ante Adamum fuisse quidem peccatum, non verò legem. Forsitan itaq; dices, Apostolum respondere ad consequens 1. per *Distinctionem*, distinguendo inter peccatum materiale & formale, peccatum non imputatum & imputatum. 2. per *Inficiationem*, negando, quod peccatum formale & imputatum fuerit ante Adamum. Haec autem responsio textui repugnat. Nam v. 13. Apostolus non negat, sed affirmat sine distinctione, quod peccatum fuerit usq; ad legem. Si verò dixeris Apostolum 1. distinguere inter peccatum materiale & formale. 2. concedere, ante legem fuisse peccatum materiale, illudq; proponere vers. 13. *usq; ad legem peccatum erat in mundo*: necesse erit, ut probes, quod Apostolus loquatur de peccato, quod ante Adamum est perpetratum. Nam usq; ad legem esse, & usq; ad Adamum esse, non sunt eadem, sed planè diversa, uti infra demonstrabitur, & ex parte ex precedentibus est ostensum. Quomodo autem illud probabis? Num arbitraris id fieri posse per sequentia: *peccatum verò non imputatur lege non existente*. Absit. Annon

conce-

concedis, hinc esse *ἀνὴρ ἁμαρτωλὸς* vel commutationem, figuram illam Rhetoricam, quæ discrepantes sententiæ inter se permutantur? Dum n. Apostolus dicit explicitè: *Peccatum v. non imputatur lege non existente*: alteram partem *ἀνὴρ ἁμαρτωλὸς* proponit implicitè, quæ est: *quia imputatum fuit peccatum*. Si enim Apostolus voluisset probare, quòd peccatum materiale juxta tuam sententiam fuisset ante Adamum, vel usque ad Adamum, non dixisset particulam adversativam: *Peccatum verò non imputatur lege non existente*. Nam particula illa est indicium, quòd præcedat aliquid, cui adversaturenunciatio illa: *Peccatū v. non imputatur lege non existente*. Cui a. non repugnat juxta tuam hypothesein enunciatio immediate præcedens & explicitè posita: *usque ad legem enim peccatum erat in mundo*. Alia itaque erit enunciatio, quæ verò esse non potest: *Peccatum non fuit imputatum*, (quænam enim illa esset *ἀνὴρ ἁμαρτωλὸς*, si diceretur: *Peccatum non fuit imputatum: Peccatum verò non imputatur lege non existente*) sed est: *Quia imputatum fuit peccatum*. Quandoquidem igitur Apostolus non dicit: *Peccatum non imputatur, quia non erat lex*, sed implicitè: *quia imputatum fuit peccatum*: & explicitè: *peccatum verò non imputatur lege non existente*: demonstrandum tibi hoc loco erit, quòd peccatum illud, de quo dicitur, quòd fuerit usque ad legem, non sit imputatum. Num verò arbitraris, Apostolum tuam causam hinc agere, & pugnare pro tuâ falsâ hypothese. Absit omnino. Ille enim docet, quòd peccatum illud, quòd fuit usque ad legem, sit imputatum. Necessè itaque non fuisset, ut cap. 4. pag. 8. & 9. Exercit: prolixè probasses, peccatum fuisse imputatum ab Adamo usque ad Moysen. Ipse enim Apostolus satis luculenter id docet per sequentem *ἀνὴρ ἁμαρτωλὸς*: Si peccatum non fuisset ante Moysen, illudque ante Moysen non fuisset imputatum, ab Adamo usque ad Moysen mors non regnasset. Sed regnavit mors ab Adamo usque ab Moysen etiam in illos, qui non peccarunt ad similitudinem transgressionis Adam. Ubi rursus altera pars *ἀνὴρ ἁμαρτωλὸς* implicitè est posita; altera verò explicitè.

19. Quibus absolutis quæritur, ubinam sit fulcimentum

D 3

tuarum

tuarum distinctionum, quibus distinguis inter peccatum materiale & formale, peccatum non imputatum & imputatum. Sed longius forsan ab instituto nostro digressi sumus, quod non fuisset factum, nisi ipsius rei, quam pertractamus, necessitas illud desiderasset. Quam obrem sine ulteriori mora revertimur ad vers. 12. secundam vocem significativam, quam incepimus explicare. Nondum autem dici potest, quidnam intelligas per peccatum in hac enunciatione: *Per unum hominē peccatum in mundum introiit*. Interrogandus igitur ipse prius eris, quænam sit hæc divisio, quæ peccatū dividitur in materiale & formale, an illa sit totius universalis vel generis univoci in suas partes subijcibiles & species univocas? Si hoc negas, cur dicis de peccato materiali, quod non sit aberratio à lege; de formali verò, quod sit aberratio? Cui n. non convenit definitio peccati, ei quoq; non poterat convenire definitum. Si verò illud affirmas, cur dicis, quod peccatum materiale non sit transgressio? Cui n. convenit definitum, ei quoq; debebat convenire definitio. Quemadmodū enim definitio animalis convenit homini, & definitio virtutis convenit iustitiæ: ita quoq; definitio peccati debebat convenire peccato materiali, si illud esset pars subijcibilis, vel species univoca peccati. Sed forsitan dices: Johannem Apost. ignorasse divisiones, quibus peccatum dividitur in peccatum materiale & formale, peccatū non imputatum & imputatū, easq; soli Paulo fuisse cognituras (de eo n. scribis lib. 5. c. 5. p. 263. System., quod primus hæc distinctiones cap. 5. v. 13. 14. ad Rom. demonstraverit) & propterea non omne peccatum, sed saltem illud, quod ipsi cognitum fuit, definire potuisse. Ad illud Resp. ipse Johannes in Epist. 1. cap. 4. 6. *Nos ex Deo sumus, qui novit Deum, audit nos; qui non est ex Deo, non audit nos: per hoc cognoscimus spiritum veritatis, & spiritum erroris*. Nos didicimus à Spiritu Sancto, & Domino nostro JESU CHRISTO quod omne peccatum sit transgressio, vel à lege aberratio, sive in natura rationali illud sit defectus sive *etia*, sive inclinatio, sive actio, sive aversio, & quod didicimus à Spiritu S. & à Domino nostro Jesu Christo, illud intrepido & unanimi animo docemus ac profiteamur. Cui addenda est responsio

hio ejusdem Apostoli ex eadem Epistola cap. 2, 21. *Non scripsit vobis quasi ignorantibus veritatem, sed tanquam scientibus eam, quod quod omne mendacium ex veritate non est.*

20. Per peccatum autem in hac enunciatione: *Per unum hominem peccatum in mundum introiit*: intelligis non peccatum materiale, de illo enim dicis, quod fuerit ante Adamum. *Peccabant enim*, inquis lib. 1. cap. 1. pag. 4. *Syst. homines peccato naturali tantum ante legem, & usq; ad legem, quoties desisterant à perfectione illà, ad quam natura creationis suæ nati erant, nec non quoties aberrabant à recta ratione illà, quæ illos ad perfectum suum dirigebat.* Et lib. 5. cap. 4. pag. 262. *Syst. Ex innatà corruptione prodiit peccatum naturaliter inherens, non alienum, sed cuiq; homini suum sibi & naturale peccatum, quod non imputatur ex lege & peccato Adami alieno, sed natura ipsa peccati inherentis & suo sibi innato vitio hominibus naturaliter adscribitur.* Quod autem ejusmodi peccatum sit purum figmentum, probabitur in Analyti v. 13. ubi per peccatum in hac enunciatione: *Usque ad legem erat peccatum in mundo*: intelligis peccatum naturale vel materiale. Et per peccatum in proposita enunciatione è vers. 12. 15. Vis intelligi peccatum formale & imputatum. Quod autem ejusmodi peccatum non detur, neq; in universa scriptura reperitur, paulò post explicabitur. Nostrà enim interest, ut, priusquam accedamus ad illud explicandum, nos vertamus ad peccati formalis autorem, & cum illo de una & altera quæstione paulisper colloquamur. Quæsumus itaq; , ut nobis exponas, 1. an peccatum illud, quod dicitur per unum hominem in mundum introisse, sit peccatum Originale? 2. An peccatum illud, quod tu vocas formale, adæquatè sese habeat cum peccato originali, vel, quod idem est, an peccatum formale exhauriat totam latitudinem peccati originalis? Prius procul omni dubio non negabis. Nam lib. 1. cap. 1. Systemat. Theolog. haud obscurè illud affirmas: *Principio notandum est, inquis, locum hunc singularè & unicum esse, quo tractatio peculiaris instituitur peccati originalis vulgò dicti, quod ab Adamo in omnes homines imputatione pertransiit: neq; alium signari in tota sacrarum literarum mole, & quantum liber est utriusq; fœderis, quo per-*

speciè & ex professo disputetur de peccato illo Adamico. Posterius vero primo intuitu nec affirmas nec negas. Nam lib. 5. cap. 4. pag. 257. System. non vereris scribere. Confundunt duo illa Theologi, qui peccatum originis, quatenus imputatur, & quatenus naturaliter propagatur, ab uno fonte & ab uno Adamo derivari ajunt. Et pag. 258. Quamvis duo peccata illa inter se distent, quantum distat mysticum à Physico, imputatum à naturaliter inherente, externum & alienum ab interno & proprio, materiale & corporeum à formali & spiritali, quod toto celo distare est: Unum tamen peccatū originis ex duobus peccatis illis constant Theologi, quod duabus partibus constare asserunt, imputatione, & reali communicatione corruptionis. Nimirum ex duobus totis duas partes unius constituent. Imputationē porro primi peccati Adæ & ingenitā corruptionē ita indivulsè sociatas ajunt, ut non plura peccata sed unū idemq; peccatum efficiant; non plures reatus, sed unum eundemq; reatum integrum, quem per propagationis traducem, ut loquuntur, ad universos homines pervenire statuunt. At enim verò, probare in promptu erit ex Apostolo Roman. 5. Peccatum, quod naturaliter inheret, origine distitisse ab illo quod imputatum est. Atq; adeo non indivulsè & semper sociata fuisse peccata duo illa, neq; unum idemq; fecisse peccatum originis. Aut Apostolus: usq; ad legem peccatum erat in mundo. Si usq; ad legem peccatum erat, erat & ante legem, nec non originem ante legem habuerat. Peccatum autem illud quod erat ante legem, non erat procul dubio peccatum imputatum, quia enim peccatum imputatum non ante legem, sed à lege, & post legem fuit: Lex enim sola imputationem peccato inducere potuit. Atqui duo tantum hinc considerantur peccata, imputatum, & naturaliter inherens. E. si peccatum imputatum, non erat ante legem: fuerit ante legem necesse est naturaliter inherens illud, quod non imputabatur non existente lege. Et si rursus, quod imputatum est peccatum, à lege originem duxit: quod naturaliter inheret, non dubio antiquius imputato fuit, quia ante legem erat. Lex autem ab Adamo fuit, & cum Adamo formata lata est. Peccatum ergo naturaliter inherens antiquius Adamo fuit, & antiquius peccato imputato, quod ab Adamo originem traxit,

21. Ex quibus manifestò colligitur, quod 1 duplex facias peccatum originale: alterum quod naturaliter inheret; alterum v. quod impu-

impu-

imputatum est. De priori dicis, quòd origine distet ab illo originali, quòd imputatum est, quia originem suam habuerit ante legem Adamo datam. De posteriori affirmas, quòd origine distet à priori, quia ortum est post legem Adamo datam. De utroq; asseris, quòd toto cœlo distent, quemadmodum externum & alienum ab interno & proprio, materiale & corporeum à formali & Spirituali. 2. quòd statuas, peccatum imputatum adæquate sese habere cum peccato originali, quòd per Adamum in mundum introiit. Quomodo autem illa conveniunt cum eo quòd dicis l. 5. c. 2. p. 244. Syst. Theol. *Quæ super peccato originis præstruam, ad stipulatores habebunt theologos omnes orthodoxos?* Sed quoniam illi sunt orthodoxi Theologi, qui statuant, quòd duplex sit peccatum originale: aliud inhærens, quòd fuit ante Adamum; aliud imputatum & non inhærens, quòd in mundum introiit per transgressionem legis factam ab Adamo: profectò sicuti tu singis nova & quidem infinita secula ante Adamum orta, novos homines, qui sub istis seculis fuere, novas peccati divisiones, nova peccata originalia, novas imputationes, nova Judæorum gaudia: Eodem modo singis quoq; novos orthodoxos theologos. Sin minus unicum saltem orthodoxum theologum ex universâ antiquitate producas: omnes sive multos nobis nomines, non exoptimus. Scimus enim, quòd ne unicum possis appellare, cur itaq; desideraremus, ut plures nobis nominarentur. E Pontificiis forsan nobis sistes Albertum Pighium, Ambrosium Catharinum & alios hisce similes. Nam Albertus Pighius post colloquium Wormacense an: 1542. prolixè aliquod scriptum de peccato originali edidit. In illo sententiam suam aperit & docet, quòd peccatū originis sit actualis transgressio Adæ, quæ reatu tantum & pœnâ transmissâ & propagatâ ad posteros sine vitio aliquo & pravitate inhærente in ipsorum substantiâ, & reatum nunc esse, quòd propter Adæ peccatum extorres facti simus regni cœlorum, subiecti regno mortis & æternæ damnationi obnoxii. Sicuti ex servis, qui proprio vitio libertatem amiserunt, nascuntur servi non suo sed parentum vitio. Et sicut filius scorti sustinet infamiam matris sine proprio aliquo in se hærente vitio. Quam Pighii sententiam probat Ambrosius Catharinus *Quamvis v. hæc sententia ex*

E

parte

parte conveniat cum tuâ ut è sequentib<sup>9</sup> patebit, ad ipsam tamen provocare non poteris tanquam ad orthodoxorum Theologorû sententiam, quippe quæ non tantùm ab orthodoxis Theologis tota est rejecta; sed & à Concilio Tridentin<sup>o</sup> damnata, si verum est illud Bellarmini l. 5. c. 6. de amissione gratiæ. At si concilium diligenter legatur, facillè apparebit, & verum esse quod Andradius scripsit, & tñ. profanas omnes opìniones tum Pighii, tum aliorum ab Ecclesiâ fuisse damnatas. Orthodoxi Theologi longè aliter hic sentiunt & credunt. Artic. 2. August. Confes. docent, quòd post lapsum Adæ omnes homines secundùm naturam propagati nascantur cum peccato, hoc est, sine metu Dei, sine fiducia erga Deum, & concupiscenciâ, quodq; hic morbus sive vitium originis verè sit peccatum damnans & afferens nunc quoq; æternam mortem his, qui non renascuntur per baptismum & Spiritum sanctum.

22. Quod igitur Pighius & Catharinus Episcopus olim tradidere de imputatione reatus ex Adami transgressione orta, in eo tu illos pessimè imitaris. Nam c. 24. p. 48: *Exercit. dicis: Imputatio ipsa peccati Adamici, quæ purè est intellectualis emanavit à transgressione legis, quam Adamus violavit, nulla adhibita generatione naturali: quatenus intelligitur transgressio Adami mystice effusa in illa omnia quæ imputationi Adamica subiacebant & l. 1. c. 2. p. 8. System: Inverat Deus pactum cum Adamo, & in illo cum omnibus hominibus tanquam in syndico, defensore, & principe omnium hominum. Pactum illud rupit Adamus, & adscripta fuit fraus Adami omnibus hominibus ratione illâ divini mysterii, quâ putati sunt homines omnes deliquisse in delicto syndici, defensoris & principis sui.* Si v. orthodoxi theologi omnes Pighii & Catharini sententiam unanimi consensu repudiarunt, quis theologorum orthodoxorum tuum de peccato originali poterit probare errorem falsissimum? Pighius & Catharinus non docebant, quòd i peccatum originale esset duplex: alterum inhærens, quod per multa secula fuisset ante Adamum; alterum imputatum & ex transgressione Adami ortum. 2 Reatus ex transgressione Adami ortus non tantùm esset imputatus Adami posteris; sed etiam infinitæ hominum multitudini, qui ipso Adami tēpore per universâ terræ climata fuere dispersi, vel ante  
Adami

Adami tempora passim in rotius terrestris molis superficie habitant. Tu verò, ut alios hinc taceamus errores periculosissimos, quos circa doctrinam de peccato originali foves, non tantum duplex fingis peccatum originale, uti in præced. ostensum; verum etiam non vereris scribere c. 22. p. 45. Exercit. *Imputatio illa transgressionis Adami tantum valuerat ut mors, quæ ex ejus condemnatione sequebatur, regnaret non solum in illos, qui deinceps & post Adamum peccaverunt ad morem transgressionis illius, ad more peccati imputati: sed etiam retro regnaret in eos qui retro peccaverant non ad similitudinem transgressionis Adamicæ, sed ad similitudinem peccati non imputati, quod erat ante legem illâ quam Adamus violavit.* Quis itaq; non miretur, quòd non erubescis scribere System. Theol. lib. 1. cap. 4. pap. 256. *Fundatissima veritatis est, de quâ Theologos inter orthodoxos non ambigitur: Deum occultæ quædam ratione & mirabili mysterio hominibus omnibus imputavisse, quod unus homo peccavit; quodq; universa natura generis humani in uno homine exstitit, non verè & propriè, sed mysticè & quædam velut juris divinæ fictione intelligendum esse.* Quomodo enim illud potest esse fundatissimæ veritatis, quod non est veritatis fundatæ, & omnes orthodoxi Theologi uno ore damnant ac rejiciunt?

24 Quidnam v. hinc sit fundatissimæ veritatis, docebit nos Apostolus, ipse enim in hac enunciatione: *Peccatum per unum hominem in mundum introit: distinguit inter Adami transgressionem, quâ ipse legè sibi à Deo traditam est transgressus, & inter peccatum, quod ex transgressionem illâ est ortum.* Non enim dicit Apostolus: *Sicut per unum hominem transgressio illa unius hominis in mundum introit: sed, sicut per unum hominem, id est, per unius hominis transgressionem peccatum in mundum introit.* Hoc modo illud declarat v. 19. ubi non dicit: *quemadmodum per unum hominem peccatores constituti sunt multi, sed quemadmodum per unius hominis inobedientiam sive transgressionem peccatores constituti sunt multi.* Distinguit itaq; h. l. inter peccatum primum, & inter peccatum ex primo ortum. Peccatum primum, ne confundatur cum illo, quod ex primo ortum, vocat v. 19. inobedientiam Adami. Peccatum v. ex primo ortum v. 12. appellat peccatum. Quidnam v. peccatum illud

ex



ex primo ortum sit, scriptura Sacra nobis declarat. Neq; hic quaeritur, quanam sit hypothesis astronomica vel Ptolemaei, vel Copernici, vel Tychoonis, vel alterius cujusdam Mathematici: sed quidnam in causa salutem humani generis concernente Spiritus S. per Apostolū Paulum nobis revelaverit. Astronomis quidam conceditur licentia demonstrandi motuum caelestium affectiones ex diversissimis hypothesebus, quavis alter alterius hypothesein reiiciat, & refuter, sicuti id legere est apud Tychohem part. 1. de restitutione motuum solis & lunæ pag. 337. Potestas verò fingendi hypotheses in Theologia nemini conceditur. Nos enim hic habemus firmiorem sermonem propheticum, habemus non  $\text{σοφίαν \& αἰῶν} \textcircled{\text{C}} \text{ τέττε}$  sapientiam huius seculi; sed  $\text{σοφίαν θεῶν}$  sapientiam Dei, 1. Cor. 2. v. 6. 7.  $\text{\& λόγον σοφίας}$  sermonem sapientie 1. Cor. 2, 8. habemus  $\text{γνώσιν \& δόξαν \& ὄρα ἐν προσωπώπῳ ἰησοῦ χριστοῦ}$  cognitionem gloria Dei in facie Jesu Christi 1. Cor. 4, 6.  $\text{ἴπγνωσιν ἀληθείας \& κατ' ὁσέειαν}$  agnitionem veritatis, qua est secundum veritatem Tit. 1, 1. habemus  $\text{ἴπγνωσιν \& θελήμα} \textcircled{\text{C}} \text{ \& ὄρα ἐν σοφίᾳ \& συνέσει πνευματικῇ}$  agnitionem voluntatis Dei in sapientia & prudentia spirituali. Noli itaq; conferre principium rerum Theologicarum cum hypothesebus astronomicis & scribere: idem fore concepti fatum positionis huius apud Theologos, quae est celeberrima quaestio de motu terrae apud astronomos siue enim caelos credimus circumagi siue terram statuamus subverti; succedunt nihilominus vice perpetua, & dies nocti, & diei nox, redoluntur itidem statis & praescriptis temporibus tempestates quaeq; anni; segetes florent vere, quae aestate maturescunt; spumant vina autumno, quae hyeme defaecantur: pari eventu, siue credimus Adamum fuisse creatum solum & primum omnium hominum; siue ponimus alios homines ante Adamum fuisse genitos, stabit semper suo loco & suis mysteris religio omnis Christiana. Lege potius & quam diligendissime perpende illud Salvatoris humani generis: Fieri non potest, quin veniant offendicula. Vae tamen illi per quem veniunt. Expectat illi, si mola asinaria ponatur circa collum ejus, & projectus fuerit in mare, potius quam ut offendiculo sit uni de pusillus istis

Eclipsis Solis, quæ contigit tempore passionis Christi præter omnem naturæ ordinem, & Hierosolymis est exhibitæ circa meridiem, & duravit tres horas. Lunâ infra Horizontem Judæorum existente, fuit universalis.

**A**utor Syst. Theol. de Præ-Adamitarum hypotthesi affirmat, quod fuerit universalis respectu terræ Judæorum; negat autem, quod fuerit universalis respectu totius terræ. Idcirco scribit part. 1. system. l. 7. c. 3. p. 186. Peccatur non rarò in lectione sacrorum Codicum, quoties generalius accipitur, quod specialius debuit intelligi. Quæ est de Adamo, quem Moses primum Judæorum patrem fecit: quemq; καὶ ἡ γῆ Ἑβραίων primum omnium hominum parentem vulgò statuimus. Ejusdem abollæ est, quod creditur de tenebris illis, quæ factæ fuerunt in morte Domini. Illas n. Theologorum turba fuisse putat per totum terrarum orbem diffusas. Resp. ὅλλω τῆς γῆς dupliciter in S. S. dici i. determinatè, quâ ratione terra Judæorū dicitur tota terra. Matth. 9, 26. 31. Act. 10. 11. 2. Indeterminatè, quomodo tota terra dicitur universus terrarum orbis Luc. 21, 35. Rom. 9, 17. c. 10. 18. Apoc. 5, 6. c. 13. 3. Quia itaq; omnes tres Evangelistæ Matth. 27, 45. Marc. 15, 33. Luc. 23, 44. indeterminatè loquuntur, per ὅλλω τῆς γῆς absq; omni dubio intelligitur terra universa. Causa autem harum tenebrarum non fuit corporis lunaris interpositio; (contigit enim Solis deliquium circa plenilunium, quando Judæorum Pascha celebrabatur, & Luna infra horizontem Judæorum existens in aspectu hominum corpus solare subtrahere non potuit) sed obscuratio ipsius corporis solaris, qualis à condito mundo nunquam erit subortæ; quemadmodum & passio filii Dei ineffabilis, quam nostri causâ in ara crucis sustinuit, miracula omnia, quæ in tota rerum natura extare possunt, longissimè superat. Hanc causam nobis monstrat Lucas c. 23, 44. dicens: ἐσκοτίσθη ὁ ἥλιος, Joel c. 2, 31. Sol convertetur in tenebras, & Luna in sanguinem, antequam venieret dies magnus & horribilis. Quomodo autem illa conversio fiat explicat c. 3, 15. De simili causa Christus loquitur in Evangelio, ubi dicit: erunt signa in Sole & Luna, hoc est, in ipso corpore solari & lunari, quomodo illud explicatur Matth. 24, 29. Marc. 13, 24. Perperam igitur argumentatur autor a tenebris Ægyptiorum ad tenebras eo die subortas, quo Salvator noster victimam æterno Patri pro totius mundi peccatis in

ana crucis sese obtulit. Nam tenebra Ægyptiorum erant 1. palpabiles, Exod: 10, 21. non quidem ratione sui, sed ratione causa, que erat confertissima vaporum & exhalationum abundantia 2. particulares, non verò continue sed mixte: Ubi enim Ægyptii habitabant, ibi tenebra erant impenetrabiles; ubi verò vivebant Hebræi, ibi aër fuit lucidus. Tales autem non fuerunt tenebra, quando Sol obvelavit vultum suum eodie, quo Christus ignominiosam mortem pro humano genere sustinuit. He enim fuere universales & continue: Frustra itaq; dicit autor system: Neq; verò sine mysterio miraculum. Tempus enim fuerat, quo iubente Mose nox atra universa Ægyptiorum terræ incubuerat: ubicunq; verò filii Israel habitarent, lux esset. Dies venerat, quo moriente Christo lux Evangelii oriretur gentibus; tenebris verò incredulitatis Judæorum terra, & Judæi ipsi obducerentur. Illud a. verum esse largimur, quòd illa solis obscuratio densissimam cacitatem & mentis tenebras, quibus Judæi obæccti fuere, haud obscure significaverit, quando illi post tot Salvatoris monita, & suavissimas invitationes ad regnum celorum in sua perfidia & pertinaci incredulitate perstiterunt, & autorem vite interfecerunt. Quemadmodum etiam verissimum esse credimus, quòd ante extremum diem, & quando Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, Christiani Judæis similes sunt futuri. Utinam verò illis non essemus similes! Sed, adest tempus, dicitur in vaticinio, quòd B. Lutheri manu exaratum in ipsius bibliotheca est inventum, olim prædictum, quòd post revelatum Antichristum essent homines futuri, qui sine Deo viverent, unusquisq; secundum suas concupiscentias & illusiones. Nam Papa quidem fuit supra Deum, nunc sine Deo omnes agere volunt. Et cum nostri à legibus Papæ liberi sint, volunt etiam à lege Dei liberi esse, nihil nisi politica sequi. Sed dum nos fingimus illos abesse longius, de quibus talia prædicta sunt, nos ipsi sumus, qui talia facimus, sicuti Judæi fixerunt & fingunt longè alios esse, qui Christum suum promissum repudiant. Quòd vaticinium conforme est vaticinio Christi, & Ap. Jo. orum. Christus dicit Matth: 24, 37. Sicut erat in diebus Noæ, & c. Luc: 17, 28. Sicut erat in diebus Loth, & c. Unde sequitur fidem significam ante extremum diem inter Christianos rarissimam futuram. Quòd satis dilucide docet ipse Dei filius. Nam filius hominis cum venerit, an reperiturus est fidem? ipse filius Dei pronunciat Luc: 18, 8. Paulus inquit 2. Tim: 3, 1. Scito, quòd in noviss. temporibus instabunt tempora periculosa, & Petrus 2. Epist: 3, 3. 4. \* \*





ΕΠΙΜΕΤΡΩΝ.

Eclipsis Solis, quæ contigit tempore passionis Christi  
 ter omnem naturæ ordinem, & Hierosolymis e-  
 bita circa meridiem, & duravit tres horas. Luna  
 Horizontem Judæorum existente, fuit univer-

**A**utor Syst. Theol. de Præ-Adamitarum hypotbesi affirmat, quod  
 universalis respectu terræ Judæorum; negat autem, quod f  
 versalis respectu totius terræ. Idcirco scribit part. 1. system: l. 7. c  
 Peccatur non raro in lectione sacrorum Codicum, quoties  
 lius accipitur, quod specialius debuit intelligi. Quale est  
 mo, quem Moses primum Judæorum patrem fecit: quem  
 Ἰσραὴλ primum omnium hominum parentem vulgò sta  
 Eiusdem abollæ est, quod creditur de tenebris illis, quæ f  
 runt in morte Domini. Illas n. Theologorum turba fuisse p  
 totum terrarum orbem diffusas. Respi. ὄλεω τὴν γῆν duplici  
 dici i. determinatè, quâ ratione terra Judæorū dicitur tota terr  
 9, 26, 31. Act: 10, 11. 2. Indeterminatè, quomodo tota terra dicitur  
 sus terrarum orbis Luc: 21, 35. Rom: 9, 17. c. 10, 18. Apoc: 5, 6. c. 13, 3. S  
 omnes tres Evangelistæ Matth: 27, 45. Marc: 15, 33. Luc: 23, 44  
 minatè loquuntur, per ὄλεω τὴν γῆν absq; omni dubio intelligi  
 universa. Causa autem harum tenebrarum non fuit corporis lu  
 terpositio; (contigit enim Solis deliquium circa plenilunium, qu  
 æorum Pascha celebrabatur, & Luna infra horizontem Judæorum  
 aspectui hominum corpus solare subtrahere non potuit) sed obse  
 corporis solaris, qualis à condito mundo nunquam erat suborta;  
 modum & passio filii Dei ineffabilis, quam nostri causâ in ara cr  
 nuit, miracula omnia, quæ in tota rerum natura extirpe possunt,  
 superat. Hanc causam nobis monstrat Lucas c. 23, 44. dicens: ἔ  
 ἡλιος, Joel c. 2, 31. Sol converteretur in tenebras, & Luna in sa  
 antequam veniet dies magnus & horribilis. Quomodo autem il  
 sio fiat explicat c. 3, 15. De simili causa Christus loquitur in Evan  
 dicit: erunt signa in Sole & Luna, hoc est, in ipso corpore solari  
 quomodo illud explicatur Matth: 24, 29. Marc: 13, 24. Perpen  
 argumentatur autor a tenebris Ægyptiorum ad tenebras eo die  
 quo Salvator noster victimam eterno Patri pro totius mundi p

